

Sammelbot 4

Pre
1. B
2. Ma
3. K
4. d
5. M
6. W
7. C
8. H
9. O
10. G
11. C
12. A
13. C
14. H
15. F
16. D
17. D
18. F
19. W
20. F
21. A
22. S
23. S
24. /
25. L
26. S
27. H
28. H
29. S
30. M

Prefides

1. Boovis De Germania jurisprudentia sua ^{domestica} nunquam destituta
2. Mascon - Ingenio judicis.
3. Kestner - lege continui in natura.
4. Müller - fictionibus tam hominis quam juris.
5. Müller - fictionum juris Rom. usq. antiquo non. usu hosierno
6. Willenberg - votorum pluralitate non concludente.
7. Cyncker - jure secundi.
8. Schwendendörfer - privilegis virginum.
9. Stearius - patientia juridica.
10. Graefchen - Compensationibus.
11. Carppov - pactis successoris.
12. Berger - jure personarum.
13. Müller - rationibus in solle.
14. Hedler - jure hominis bicapitis.
15. Hedler - Curatore godmarum.
16. Decker - ad leg. xxxix. frater a fratre se condit. indelict.
17. Fiegler - juribus Judeorum.
18. Frieze - thesauro arte magica invento.
19. Wölcher - privilegis adiosis et poenalibus.
20. Frieser - juris Sax. prov. compilatione.
21. Friepr - emulatione.
22. Beyer - cunctantia minorum jurata.
23. Leip - jure occupandi exubias defunctorum.
24. Kluver - jure canum.
25. Engelbrecht - pecunia collat. jur. hoccoortis & comuni.
26. Phetius - jure retentionis.
27. Heister - jure retentionis.
28. Strcker - censur per libros censuales probatione.
29. Boepfer - servitute rustica agrorum incultor. cultumque prohib.
30. Thomasius - fideiusore indemnitatis.

80
w.

L 208,



CHRISTIANI WILDVOGELII, JC.

SERENISSIMI DVCIS SAXO ISENACENSIS CONSILIARII INTIMI

ET ANTECESSORIS, COLLEGI IVRIDICI SENIORIS ET

H. T. DECANI

DE

VSV IMAGINARIO,

ad l. XV. C. d. Testam.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P. d. XI. DECEMBR. A. C.

M DCC XVIII.

J E N Æ,

LITTERIS MVLLERIANIS



frustratorios actus jura detestari, notissimum Jctorum est pronunciatum, cujus fundamentum legimus in *l. 109. d. legat. 1.* ubi Africanus, si quis uxori suæ ea, quæ viuis donaverat, leget, non de aliis donationibus eum tennit, ait, quam de his, quæ de jure valitura non sunt, cum alioquin frustra legaturus sit. Quæ de re Philosophi quoque dicere amant: Deum & naturam nihil facere frustra. Observarunt id ipsum veteres jurium romanorum conditores, adeoque cuncta, quæ effectum nullum operantur, ab actionibus civium longe abesse voluerunt, quin & simulationibus & fictionibus e quibus frustratio ejusmodi oriri posset, omnem denegare valorem, ipsis placuit. Hinc *imaginarios* vocarunt actus, quibus species tantum & color externus negotio conciliatur, atque inutilem judicarunt operam, quæ his impenditur. Græci ἐμόνηκα συναλλαγματα illos vocant, notante Gothofredo ad *l. 16. d. R. I.* de quibus gravissime Modestinus scribit in *l. 54. d. obl. & act.* quod *imaginarii contractus*, juris vinculum non obtineant,

neant, cum fides facti simulatur, non intercedente veritate. Ex quo fundamento quoque Paulus [C. in l. 55. d. *contr. empt.* dicit, *imaginariam venditionem* pro non facta esse, & ideo nec alienationem ejus rei intelligi: nec non Hermogenianus in l. 49. d. *act. empt.* qui per collusionem *imaginarium colonum*, circumveniendi emptoris causa, supposuit, ex empto teneri. Excludere nimirum allaborarunt prudentissimi legumlatores omnem fraudem & fallaciam, ad decipiendum alios excogitari solitam, ut merito hinc Imp. Diocletianus & Maximianus in l. 10. C. d. *disfr. pignor.* creditorem, qui sub *imagine* alterius personæ, quam supposuerat, pignus emerit, nihil agere, rescripserint.

Attamen non omnem plane fictionem aut actum *imaginarium* jure romano prohibitum esse, ex variis ejus locis luculenter constat. Exempli loco proferre jam liceat *acceptilationem*, quæ in §. 1. f. *quib. mod. oblig. toll.* describitur, quod sit *imaginarie solutio*, per quam obligatio ex stipulatione contracta, exstinguitur ita scilicet prout Imp. d. l. rem declarat, ut, si quid ex verborum obligatione Titio debetur, si id velit Titius remittere, patiatur hæc verba debitorem dicere: quod ego tibi promisi, habesne acceptum? & Titius respondeat: habeo: atque sic ex stipulatu debitum tollatur. Sed & id, quod ex alia quavis causa debebatur, in stipulationem deduci, & per *acceptilationem* iterum dissolvi poterat, quæ stipulatio, ab auctore, Aquiliana vocabatur, uti constat ex l. 18. d. *accept.* Scilicet, cum nudis pactis, tam obligatoriis, quam liberatoriis, nullus effectus tribuebatur, & ut certius constaret de voluntate paciscentium,

placuit Romuli nepotibus, peculiarem contractum in-
 terrogatione & responsione iusta constantem introduce-
 re, & per illam stipite quasi, nudas conventiones firmare,
 nec non eodem modo easdem denuo resolvere. In
 emancipatione præterea filiorum, *imaginariam* quan-
 dam venditionem celebrare, libitum fuit antiquitus,
 cum nimirum filius masculus de potestate patris exibat
 & sui juris efficiebatur: Erat enim emancipatio nihil
 aliud, quam ficta quædam venditio, & præter patrem ve-
 rum, alius pater adhibebatur, fiduciarius appellatus,
 quorum ille filium suum huic mancipabat, h. e. manu
 tradebat, & à fiduciario naturalis pater unum vel duos
 nummos in similitudinem pretii accipiebat, idque secun-
 da & tertia vice fiebat: imo, si emancipatio per vindi-
 ctam peragebatur, virga quadam, quam vindictam di-
 cebant, caput filii percutiebatur, quam percussione[m]
 Justinianus rapisima dixit, in *l. f. C. d. emancip.* Etiam si ve-
 ro laudatus modo Imperator & juris romani restaurator,
 antiquam istam imaginariam solutionem, quæ accepti-
 latione contingebat, in suo vigore manere permiserit,
 alia tamen huiusmodi figmenta, verum usum haud præ-
 bentia, in quam plurimis removere studuit; exempli
 loco sit ille ipse, quem jam attigi, emancipationis ritus,
 quem tanquam vanam observationem rejecit, atque
 venditiones istas *figuratas*, uti nominat, & injuriosa
 rapismata, quorum nullus rationabilis invenitur exitus,
 penitus quiescere iussit, licentiam tribuens ei, qui eman-
 cipare vult, vel ex lege Anastasiana id facere, vel sine
 sacro rescripo intrare competentis iudicis tribunal, vel
 eos adire magistratus, quibus hoc facere vel legibus,
 vel

vel longa consuetudine permissum est, & filios suos, vel nepotes, vel deinceps progeniem in sua potestate constitutam, è sua manu dimittere. *d.l. sup. C.d. emancip. & Nov. 81. pr.* Eandem curam circa abolendas vanas ceremonias & verborum solennitates, jam ante Justinianum, suscipit gloriosissimus Imp. Constantinus, quando in *l. i. s. C. d. testam.* indignum esse, scribit, ob inanem observationem irritas fieri tabulas & judicia mortuorum, adeoque ademptis his, quorum IMAGINARIUS VSVS est, institutioni heredis, verborum non esse necessariam observantiam, gravissime constituit. Ex quo colligere licet, id curandum esse Imperantibus, ut subditi in civili societate viventes ea agant sedulo, ex quibus utilitas quædam tam in ipsos, quam in totam rem publicam redundare queat. Multo magis autem legitimæ scientiæ studiosis incumbit, non ejusmodi rebus operam dare, quæ speciem quandam utilitatis præbent, & usum imaginarium habent, sed illa addiscere, quæ in rerum obtinent argumentis, prout Imp. loquitur, *in proæm. Inst. §. 3.* & quibus aliquando publico inservire propriique nominis gloriam & decus sibi comparare possint. Fecit id ipsum eximius Jurium prolyta,

JOANNES HIERONYMVS HERMANNVS,

cujus ortum & studia usque huc laudabiliter peracta, more solito enarrare, quemve in publicum Jctorum suggestum, ad edenda specimina eruditionis publica-


producere decrevimus. Lucem is adspexit in celeberrima Svevorum libera & imperiali urbe DÜNCKELSPILA, patre GEORGIO ANDREA HERMANNO, oenopola ibidem florentissimo, ac viro integerrimo, matre vero MARIA, omni virtutum genere instructa fœmina, ex amplissima MEIERIANA familia, quæ *Oettingæ* floret, oriunda. Eorundem cura, nec non viri pereximii DEVB-
BLERI, in patria scholâ præceptoris bene meriti opera, fidei chrillianæ fundamentis, ac linguæ latinæ imbutus rudimentis, consilio parentum & cognatorum ad gymnasium *Oeringensè* transit, in quo per biennium JO-
ANNIS LEONHARDI LENZII, Rectoris ibidem dexterrimi institutione diligentissima in humaniorum literarum & philosophiæ studio multum præfecit. Inde *Pfedelbacum* abiit, ibidemque viri admodum reverendi SCHVBARTI, eo tempore Diaconi, jam civitatis Heilbrunnensis concionatoris vigilantissimi manuductione, ea quæ ad divinam æque ac humanam sapientiam pertinent, indefesso labore feliciter hausit. Inprimis vero summis in cœlum laudibus effert magnifici atque excellentissimi JOANNIS LVDOVICI HERMANNI, Jcti fama meritisque celeberrimi, apud celsissimum Comitem Hohenloico-Pfedelbacensem, Cancellariæ Directoris, atque in sanctiori senatu Præsidis munere fungentis, Patruï sui devotissimè colendi, singularem plane gratiam & beneficia, queis per anni spatium, quo ædes ipsius illi inhabitare licuit, affectus est, quæ proinde, quousque auram trahet vitalem, nunquam animo suo & memoria excidere patietur. Hujus etiam, atque optimi parentis suasu, annopræsents seculo quinto
 mense

mense Octobri, Salanam nostram petiit, & Pro-Rectore
 magnifico, *Georgio Wolffgango Wedelio*, medico per uni-
 versum orbem celebratissimo, academicorum ordini
 nomen suum inscribi curavit, eam denique, quam sem-
 per bonis omnibus probavit, solertiam, indies magis
 magisque declaravit. Initium namque studiorum a philo-
 sophiæ præceptis fecit, atque in his excellentissimi tunc
 Metaphysices Professoris famigeratissimi, nunc ec-
 clesiarum in Ducatu Vinariensi antistitis generalis, scho-
 las frequentavit assidue, & quæ modocunque ad ani-
 mum excolendum pertinere poterant, avidissime arri-
 puit. Ita satis ad altiora preparatus, juris civilis Studia
 ingressus est, opera usus illustris atque consultissimi JO-
 ANNIS BERNHARDI FRISII, JCU summi, Serenissimo
 Duci Saxo-Ilfenacensi à consiliis aulae atque consistorii, nec
 non Antecessoris apud nos longe meritissimi, illoque præ-
 eunte, elementa primitus juris, post vero omnes ac singulas
 Jurisprudentiæ partes privatissimo labore, non sine in-
 genti fructu & emolumento pertractavit, ob quod ipsum
 semet illi ad cineres usque obstrictum esse, lubens me-
 ritoque profitetur. Non minus reliquorum Athenæi
 huius Antecessorum industriam deprædicat Noster, quippe
 qui tum excellentissimi *Brückneri* lectionibus in B. Stryckii
 Introductionem ad praxin forenses, tum magnifici JO-
 ANNIS PHILIPPI SLEVOGTII, nec non B. ADRIANI
 BEIERI, itemque JOANNIS CHRISTIANI SCHROE-
 TERI, ut & BVRCARDI GOTTHELFF STRUVII le-
 ctionibus atque disputationibus sedulo interfuit, nec me-
 am qualemcunque opellam, cum Codicis Justiniani leges
 præcipuas publice interpretarer, silentio præterire voluit.

Vt

Ut igitur de acquisita tot laboribus eruditione magis constaret, isque publicum ejus testimonium referret, censuram facultatis nostræ subire ipsi placuit, adeoque ad consueta examina admissus, per exactas textuum propositorum enodationes, dubiorumque objectorum promptas resolutiones, talem semet præstitit, ut ad publica etiam candidatorum specimina edenda eundem admittere & honorum academicorum titulis cohonestare haud dubitaverimus. Craffina jam luce hora X. antemeridiana in acroterio Jctorum cathedram conscendet, *L. 6. C. de malefic. & mathemat.* luculenta commentatione interpretaturus; quibus conatibus ut magnificus dominus Prærector, Patres academiæ excellentissimi, Doctores ceteri nobilissimi, omniumque facultatum Studiosi doctissimi præsentia sua exoptatissima favere dignentur, collegii nostri nomine submisit, officiose & peramanter contendo, reciproca honoris benevolentiaque genera singulis promittens. P. P. Jenæ, d. XI. Decemb. A. O. R. M. DCC. XIII.





AB 52 $\frac{16}{R, 29}$

X 231 0673

VD 18





21

CHRISTIANI WILDVOGELII, JC.

SERENISSIMI DVCS SAXO ISENACENSIS CONSILIARII INTIMI

ET ANTECESSORIS, COLLEGI IVRIDICI SENIORIS ET

H. T. DECANI

DE

VSV IMAGINARIO,

ad l. XV. C. d. Testam.

PROGRAMMA INAUGVRALE

P. P. d. XI. DECEMBR. A. C.

M DCC XVIII.

J E N Æ,

LITTERIS MVLLERIANIS